

Diaguez

P 1529 / 17
de Patromany
IV-199-1

Carta de Clemente 8º su fha en Ro-
ma 20 de Junio de 1600. en que recomienda
al or.º Juan de Diaguez, el Nuncio Cami-
lo, q. viene como tal a España =

Deco. 5º trozo 2º


Num.º 16 =

Aliaquez

IV-199-1

P 1529/17

*Dilecto filio Nobili viro Joanni Idiaquez
Presidi Ordinum*



*Lij. 3. libro 2.
Num. 16.*

CLEMENS. P^p. VIII.

Dilecte fili Nobilis vir salutem, et Apostolicam benedictionem. Successorem dare placuit, in Nuntij Apostolici munere. Venerabili fratri Camillo, Patriarcha Alexandrino, qui annos complures, ut Nobilitas Tua nouit, multa cum laude illud administrauit, ut iam illo onere alieuanus merito uideretur. sed grauior accessit causa, obitus nimirum filij nostri dilecti, et Cardinalis amplissimi pia memoria Henrici, eius germani fratris, cuius praesidio orbata nobilis caietana Domus, Patriarcha auctoritatem, et curam flagitat, eumq; in patriam necessario reuocat. sufficimus igitur in eius locum, Venerabilem item fratrem Dominicum, Archiepiscopum sipontinum, Praelatum nostrum domesticum spectata fide, integritate, et prudentia, et nobis apprime gratum, quem etiam superioribus diebus in Hispaniam extra ordinem miseramus, nunc autem officij munere ordinario, noster, et huius sanctae Apostolicae sedis, cui Deo auctore seruiamus, Nuntius erit, apud filium nostrum in christo carissimum Philippum, Hispaniarum Regem catholicum. Hac igitur oblata occasione damus ad Nobilitatem Tuam has litteras, indices nostri in te amoris, et praecleara opinionis, quam de tua uirtute gerimus, nam de nostra in te propensione, et paterna uoluntate, idem Archiepiscopus, et Nuntius noster uberius tibi testificabitur, cui ut fidem in omnibus habeas cumulatam, a te petimus. Tu uero quae a Deo habes, opes, gratiam, auctoritatem, ad Dei ipsius gloriam conferre perge, quam solam nos quaerimus, et quicuis pius, et Catholicus quaerere debet, ut simul omnes, pro sua quisque uirili parte, et pro crediti Valentis ratione Domino fideliter seruiamus. Tibi in terra Ap^{cam} nostram benedictionem amanter impartimur. Dat. Roma apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die. xx. Ianuarij. Anno Iubilei. M. Dc. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

Siluius Antonianus Card.

1211 VIII

[Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint handwritten text at the bottom of the page]

